

Tu nos decus Ecclesiæ  
Mundi procellis eripe :  
Quem dum fluentia metuunt  
Naturæ vires reprimunt.  
Certe membra debiliū  
Robur instaurant pristinum  
Manus ablutæ : poculum  
Muto reddit eloquium.

A Tu nostris lumen mentibus,  
Sacris infunde precibus :  
Qui cæcis visum reparas,  
Et nostras pelle tenebras  
Sit Patri laus ingenito,  
Sit decus Unigenito :  
Sit utriusque parili  
Majestas summa Flamini. Amen.

## MISSA BEATI ODILONIS

(Ubi supra.)

### ORATIO.

Deus, qui beato Odilone super gregis tui dedisti vigilare custodiam, da familiæ tuæ, quæsumus, ut ejus informetur exemplis cujus est instituta doctrinis. Per Dominum.

### SECRETA.

Oblatum tibi sacrificium, quæsumus, Domine, beati Odilonis commendet oratio, quod nos et ab adversitatibus munit et ad amorem tuum indesinenter accendat. Per Dominum.

### B

### POSTCOMMUNIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercedente B. Odilone confessore tuo, quos pondus proprii reatus aggravat, cœlestis mensæ vigor attollat. Per Dominum.

### SUPER POPULUM.

Da quæsumus, omnipotens Deus, per beati Odilonis ad te vestigia tendere, cujus nos magisterio dignatus es erudire. Per Dominum.

## JOTSALDI MONACHI

### PLANCTUS DE TRANSITU DOMNI ODILONIS ABBATIS CLUNIACENSIS.

(Biblioth. Cluniac., p. 329.)

Ad fletus voces extendat chorda sonoras,  
Organa cunctorum vertantur sorte modorum.  
Plangite, vos populi, vos linguæ sidera cœli,  
Proruat in tenebras resplendens orbita solis,  
Deficiant plene radiantia cornua lunæ,  
Lugeat et mundus protenso corpore totus :  
Nunc terras, pelagus, montes, silvasque ciebo :  
Quadrupedes, bipedes, reptantia cuncta movebo.  
Condoleant Patrem subtractum nunc Odilonem  
Conciso plausu, pungantur viscera fletu,  
Et variis lacrymas profundant vocibus istas :  
Odilo, dulce decus, venturi gloria seclī,  
Odilo, dulce decus, fraternæ pacis amicus.  
Odilo, dulce decus, meritorum lampade clarus.  
Tu fessis requies, languentibus es medicina,  
Debiliū baculus, miserorum maxima virtus :  
Splendida quo facies abiit, quo sermo recessit  
Aureus, humanos componens optime mores?  
Quo tua sancta manus, fulgorus denique visus  
Quo jacet in spatio, vel quo requiescit in antro?

*Ratio, ad hæc respondens, ait :*

Ordine funereo clauduntur membra sepulcro  
Fœdere perpetuo, lex est mortalibus ista :  
Naturæ genitor, rerum plasmator et auctor

C Jussit in occiduas morientes ire tenebras.  
Tendit ad occasum quidquid lucis capit ortum,  
Doctus et indoctus æquali sorte recedunt.  
Divitis et modici similem mors suscipit umbra,  
Vertitur in cinerem cineris compago soluta :  
Quod nequit absolvi, debet patienter haberi.

*Revelatio doloris, et consolatio mortis.*

Musa, mihi causas memora, quo tristitia solvam  
Deponens lacrymas steriles, et gaudia sumam.  
Odilo non moritur, sed mortis funera spernit :  
Odilo non moritur, sed viam duxit honestam.  
Odilo non moritur, sed vitam morte recepit.  
Regnat in æternum gaudens se cernere Christus  
Quem coluit, docuit, quæsivit, glorificavit,  
Cujus gloria crux fuit, et Christus crucifixus.  
Virgo Maria, tuo quantum servivit honori!

D Te mundi Dominam, cœlorum necne benignam,  
Omnibus in votis tenuit, prælegit, amavit  
Firmiter, atque Deum recolens de te generatum,  
Extorsit lacrymas sibi, quod tua sancta mamilla,  
Quam lactasse Deum cœlum stupet, orbis adora  
Illi quam fuerit pia circumcisio Christi,  
Quæ teneris membris influxit vulnera cultri,  
Testes sunt gemitus, oculorum lumine fusi